BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
39185
kat.komp.
I Mag. St. Dr. P

...thol. Quaestio de effectibus excommunicationis

Teol. 2933

QVÆSTIO
DE
EFFECTIBVS EXCOMMVNICATIONIS.

Ex C. Si vere, ext. de Sent. Excom.

In Collegio DD. Iuris consultorum publicè ad disputandum proposita.
Anno 1620. Die 23. Octob.

A

M. BARTHOLOMÆO IANVSCHOWIC in
Acad. Crac. Professore & Collega Minore.

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE

CRACOVIÆ,
Ex Officina Matthiæ Andreouiensis.

39185 I

QVÆSTIO.

Ex C. Si vere, ext.

DE SENT. EXCOMMVN.

V. Excommunicatus denunciatus seu notorius, tam in omni genere actuum iudicialium, quam in Conuentionibus, aliisq; functionibus Ciuilibus extraiudicialibus, quo ad commodum suum, vel etiam ad honorem interuenire valeat necne?

Conclusio Prima.

Excommunicatus denunciatus notorius non potest facere valide actus iudiciales.

Corollaria.

1. *Excommunicatus siue à iure, siue ab homine denunciari debet, nec eum quisquam ante denunciationem vitare tenetur, secus existimãdum si fama publica vel factum excommunicati fuerit notorium.*

2. *Denunciatio nomen excommunicati, & causam propter quam fertur propriam & in specie continere debet.*

3. *Excommunicatus quæ concernunt suam defensionẽ, & partes rei potest in iudicio facere.*

4. *Ea quæ authorisationem in iudicio requirunt vel præsuponunt, ab excommunicato minime fieri possunt.*

5. *Statutum quod tollit exceptionem excommunicationis, admittitq; excommunicatos ad actus iudiciales, iure diuino inualidum est.*

Conclu-

Conclusio II.

Actus ciuiles extraiudiciales, quamcunq; speciem habeant, siue Conuentionis, siue vltimæ voluntatis, aliamue quamuis ab excommunicato fieri non possunt.

Corollaria.

1. *Excommunicatus excommunicatione maiori, bona Reipub. & fisci, item pupilli & minorennis, administrare non potest.*

2. *Arbitrium iuris ordine, ab arbitro excõmunicato latum non tenet, secus existimandum, de arbitramento & arbitratore, qui potestatem facti tantum, & non iuris habet.*

3. *Delegati aut subdelegati iurisdictio, delegãtis aut subdellegantis excommunicatione superueniente tollitur.*

4. *Obligatus sub pæna vel iuramento intra certum tempus soluere quippiam, si is cui promissio talis facta est interim excommunicetur, promissum soluere non tenetur, nec ideò periurus aut culpabilis erit.*

5. Excommunicatus excõmunicatione maiori testamentum valide facere non potest.

Conclusio III.

Qui actus sunt cum onere excommunicatiiniis & validè excommunicatus obligatur, & per excommunicationem non excusatur, quo minus debitum onus sustineat.

Corollaria.

1. Excommunicatus in ius comparere, respondere, & sententiam contra se ferri audire obligatur.

2. Si tutor incidit in sententiam excommunicationis, & eius prætextu neglexit intra certum tempus condere inuentarium, non liberabitur à doli suspitione.

3. Excommunicatus vt priuatus officium diuinum seu horas canonicas recitare tenetur.

4. Excommunicatus ad votum rite factum reddendum obligatur.

5. An excommunicatus professor suum munus obire in legendo valeat problema facio.

Sub auſpicijs Admodum R. ndi & Magnifici Domini, D. IACOBI TVROBOYSKI, S. Theol. Licenciati, S. Floriani Decani, Præpoſiti SS. Omnium, Almę Acad. Crac. Generalis RECTORIS.

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE

34. V. 78. β.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0009012